

Regnum Mortuorum.

Dialogi politici Mortuorum.

In Elisio 8. Martii 1808.

Beatus ille homo
Qui vivit suâ domo ;
Et vivit sine Medico,
Et contentatur modico.

Hermannus Boerhave et Joannes Kunkel.

Boerhave. Recte sum in procinctu, te quaerendi; oportune sane venisti.

Kunkel. Quid ergo iterum?

Boerhave. Dilecte amice! Quod nec ego, nec tu concipimus. Quidam Anglus producit ex sale metallum.

Kunkel. Non tamen aurum?

Boerhave. Non scio, quomodo metallum ejus nominetur; sed hoc certum est, virum huic esse Membrum plurimum Accademiarum, seu more nostro loquendo, plurimum Facultatum medicarum.

Kunkel. Multa nova inventa in Chymia; certo etiam ego multa praestare potuissem, sed — *Vita brevis, ars longa* ut dicere solabas.

Boerhave. Ita profecto? *Vita brevis, ars longa* Nos brevem hanc vitam Medicinae consecravimus; schola mea fuerat celebris.

Kunkel. Omnino celebris ab Hollandia usque Chinam. Cum solatio recordor literarum, quas Mandarinus quidam ex *Peekin* tibi sub cortesia scripserat. — *Ad Boerhave, Medicum Europae.* Nomen tuum ex post adhuc longe celebrius reddidit *Svieten* per commentarium suum eruditissimum.

Boerhave. — Mea aetate fuerat major perseverantia in colendis scientiis. Ego habebam Discipulos, qui 15—20 Annis in schola mea Medicinae studebant; hic amor constans in nostro studio hodie non amplius reperitur; summum manet unus 3—4 ad Universitatem, et jam fit Medicus, scribitque *Recipe* etc.

Kunkel. Quemadmodum ex adventibus horsum medicis intelligo, sistema Brownianum eclipsim passum esse. Collecta sunt ex hocce sistemate grana auri, et reliquum,

quod in *Stenia*, et *Astenia* excedebat, rejectum. *Stolliani* iterum resurgunt, et ideo clamant occulti *Browniani*: *purgare, segnare clysterum donare*. Caeterum cogor ingenue fateri, succum nostrae scientiae in his paucis *Moliere* verbis utcunque concentrari.

Boerhave. Alia tempora, alia vitae ratio; ex qua aliae generantur Infirmittates, consequenter etiam alia medicamenta. Homines sicut in bono, ita etiam in malo suos faciunt progressus. Ast infirmitates capitales, quae corruptibilitati corporis adhaerent, manent, et observantur eadem ipsae affectiones, quas *Protoparens Medicorum, Hippocrates* descripsit. Chymia domestica, quam culinam nominamus, non minus, quam nostra scientifica Chymia, imo forte periculosiores fecit progressiones; hinc partim novi enati morbi, partim veteres et noti alium acceperunt characterem.

Kunkel. Recte haec bene expendi debent, ad quod constans, et infatigabile requiritur studium. Chymia debet cum cullina semper pari passu progredi; quod posterior destruit, debet prior reparare. Dilecte Collega! Mundus bene scit, quid media mea antimonialia operata fuerint, et quid adhuc operentur.

Boerhave. Laus, et prima gloria Medicae! omnes reliquae scientiae subsunt potentiae; at principia nostra ab nullius pendent arbitrio. Despota, et Depopulator potentissimus accipit e manu medici cum promptitudine salutis media, quae eidem propinat, et solus medicus potest potestatem ejus fraenare, et huic soli debet parere.

Kunkel. Gloria, et praecellentia nostrae scientiae. Ast? Quid audio? Animae currunt ad Mercurium, quid tulit; accedamus et nos!

Boerhave. Est *Recipe* contra commercium Anglicanum.

Declaratio Aulae Viennensis de 8. Februarii 1808; — Stante bello, cui pax chronopolitana finem imposuit, primarum curarum Suae Caesareae, et R. A. fuit constanter, potentius belligerantibus motiva inculcare, quae pro felicitate Europae eas ad pacis universalis consilia flectere potuissent. Aula Viennensis jam dudum eatenus mentem suam Aulae Londinensi declaravit, et Legatus Princeps *Stahrenberg* sub finem Aprilis 1807 adaequatam eatenus accepit Instructionem. Cum autem aula Londinensis ad haec declaraverit, consilia sua in his a consiliis foederatorum suorum dependere, salutaria Austriae consilia merito pro rejectis haberi poterant. Haec mox excepit pax chronopolitana, quae res Continentis, etiam citra Interventionem Angliae regulavit. Sua Caesarea, et Regio Apostolica Majestas semper

tamen adhuc convicta erat de necessitate universalis pacificationis, quae sola quietem Europae revehere posset, atque in hoc puncto reperit motiva satis, postulata sua apud aulam londinensem renovandi. Ideo mense Julio, non multo post pacem chronopolitanam, novam legato suo misit instructionem, ut Gubernium anglicanum ad declarandam mentem suam quoad pacem cum Gallia praeparaet, qualiter pax continentalis cum maritima connecti posset; sed factum nunc, sicut ante, et responsum datum est indeterminatum.

Sed non poterat fatigari Suae Majestatis patientia in reparanda continentis quiete, quae ad ipsam Austriae felicitatem essentialem haberet influxum, ideo mense Septembris 1807 tertio delatum erat Principi Stahrenberg, ut priora haec in puncto renovaret. Ast antequam Legatus de prioribus suis gressibus Aulam suam instruxisset, plus quam expediebat, aula Londinensis mentem suam circa pacem marinam declaravit, tum rejiciendo aperte Russiae intermediationem, tum vero per expeditionem Hafniensem. Et cum idem gubernium hunc hostilitatis actum, et hanc neutralium Potentiarum juris laesionem declarationibus, quae principiis Continentalium Potentiarum contrariae fuerant, comitatum fuisset, non poterat ex omnibus his non videri mens Angliae; quod ipsam pacis possibilitatem removeat, et omnia media, quietem Europae revehendi, respuat. Haec aite penetrarunt cor suae Majestatis, cum omnem prorsus reparandae pacis spem praeciderint, hinc non exspectata Principis Stahrenberg ad priora relatione, ultiores, prioribus longe urgentiores accepit ordines de 30. Octobris, qui eidem imponebant: Ut Cabineto Londinensi priora recapitulet, inevitabiles pervicacitatis ejusdem sequelas ob oculos ponat, et postulat immotus inhaereat, ut aula eadem mentem suam circa pacem ingenue declaret, et omnem eloquentiam, et media persuasionis adhibeat, quo eidem principia moderationis instillet, quae statui, et voto Europae conveniunt.

His acclusum erat mandatum, ut hoc in puncto declarationem officiosam Ministerio anglicano exhibeat, et petat, quo idem mentem suam sincere declaret, an ad tractatus propter pacem maritimam accedere velit, juxta principia, quae commodo partium congrua sunt, et ut in signum promptitudinis dispositiones hostiles contra Daniam sistat, et declarationem, quae has comitabatur, revocet. Pro casu, si Aula Londinensis haec respueret, aut responsum sponte differret, Legatus, acceptis Passualibus, cum omnibus Legationis Individuis Londino discedendi ordines accepit.

Sua Majestas Caesareo Regia volebat hanc Instructionem unice ad puncta, quae omnem Europam aequaliter

afficiunt, restringere, quae proinde aulam Londinensem hoc magis ad ea cum aequaminitate pensanda permovere possent. Et si Sua Majestatis gravamina propria, et tot jurium suorum, velut neutralis potentiae laesiones non attingit — contra quas, non obstantibus continuis reclamacionibus, nunquam medelam reperit — nemo aequus iudex potest non videre motiva, quae suam Majestatem permoverant, ut in objecto tantae consideracionis omnia ea silentio praetereat, quae ipsam tangerent.

Juxta hanc Instructionem Legatus Imperatoris haec jussa in sua integritate exequi debuisset; quia tamen necdum omnem spem amisisset, Ministerium anglicanum ad amicas contra Galiam ideas permovendi; principio non nisi partem eorum, quae ipsi commissa sunt, Ministro Canning 20. Novembris proposuit; ad quod tamen idem, repetendo declarat onem suam de mense Aprili 1807 respondit.

His omni ulteriori propositione superflua reddita, missa est 22. Decemb. Principi Stahremberg ultima inviatio, quae mandatum de 30. Octob. renovavit, Legatoque imposuit, ut ante discessum suum Londino motiva actorum Aulae Vienaensis Aulae Londinensi exponat; sed his ad Legatum pertingentibus, dum jam idem Passuales excepisset, non amplius aderat occasio mandatam notam Ministerio exhibendi. Iterim haec declaratio, quae officiosas communicationes utriusque Gubernii a mense Aprili 1807 exhibet, sufficiens argumentum est, Cabinetum Londinense causas et motiva ignorare non posse, quae praevigentem inter Austriam et Angliam nexum abruerunt. Imperator nihil ardentius optat, quam illud momentum, ut aula Londinensis propria sua commoda pro dignitate expendat, situm Angliae politicum relate ad alias potentias paccata mente, et cum aequitate libret, et Suae Majestati, veteres reparandi nexus, occasionem suppeditet. Viennae 18. Februarii 1808.

Biographia.

Kunkel Joannes. Celebris Chemicus saeculi 17. natus in Ducatu Schlesvicensi circa Annum 1630 Scientia, et habilitas ipsius in Chemia et Mechanica pepererunt eidem nomen celebre. Medio fornacis vitreae fecerit singularia prorsus experimenta in Chemia, et ideo fuerat chemicus aulicus apud varios Principes, utpote Electorem Saxoniae, Brandenburgiae, et tandem apud Regem Sveciae Carolum XI. Hic nominavit eum Consiliarium montanisticum, creavitque nobilem, mutato nomine in *Lövenstern*. Obiit in Svecia A. 1702 anno aetatis 72. Ille detexit methodum, phosphorum ex urina parandi. Inter varia, quae ediderat, opera, praecipua sunt: *Observationes chemicae* et *L'art de la Verrierie*, Parisiis 1752.

La

regn
obje
nun
egre
me
quid
erec
Acc
scop
alia
ipsa
miss

che
arti
omn
litas
lae,
ad no
que
nobis
dedu
hebd
Reip
venit
culto
ropac
rie;
D. B
lum,
artium

bus,
ma d